DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo menſis Maii, Anno Domini M. DCC. LIX.

PRÆSIDE,
M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE, antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico,

An Aër Alimentum, Medicamentum, Venenum?

I.



QUIDQUID ſinu complectitur univerſi orbis immenſitas, triplex apud phyſicos conſtituit Regnum. Vegetabile dicunt, animale & minerale. Duo priora ſola præbent alimentum: Tria medicamentum, aut venenum. Alimentum dicitur, quidquid nutrit, aut accretionem corporis viventis promovet & ſervat: Medicamentum, quidquid corpus vivens labefactatum aut læſum reſtituit. Venenum tandem, quidquid lædit illud aut deſtruit. Nulla quæ nos ambiunt corpora, non lædunt, aut non juvant. Afficimur omnibus & ſingulis diverſimodè quidem, at nunquàm illæſi aut inrecreati, plùs, minùs. Solo vitæ uſu deterimur, & lento inediæ carperemur igni, tenueſque ſenſim confecti vaporaremus in auras, nì refrigerium præſens occurreret cibis, languidis ſolamen artubus. Ille non unus; ſalubris, inſalubris, & neuter. Sunt permulta quæ lædant: Olfactu; umbra nucum juglandium, &c. etiam ſine odore, ut toxica quæ Itali in florum ſertis, chirotecis, permiſcere aſſueverunt: Aſpectu; ut Bufo moriens in recipiente exhauſto per antliam pneumaticam aëre; Baſiliſcus (ſi credere fas eſt), lumen vividius, color phœniceus, carbones ardentes, ſol &c. Tactu; torpedo, cantharides, ignis, cauſtica, venena permulta Quàm multa & innumera Guſtu? Hæc percurrere, hiſtoriam ſcribere ſit. Quin & Auditu: ferri rigor atque argutæ lamina ſerræ, & tormenti bellici ſtrepitus, & fulminis improviſus fragor. Hæc venena habe; Totidem quæ opponas benigna

offert natura; suaves salutiferosque odores; ægri quibus reficiantur; colores lætos ac temperatos, ut virides, cæsios, aureos, cœruleos, cœlestes. Corpora glabra, levia, temperatè calida, quis tangere non gaudeat? Gustûs innumeras quis non novit delicias etiam sobrius? Fidium, vocis & tibiarum præstigias inficiari quis audeat? Tot bona quæ alma incredibili munificentiâ profundit natura, sagaci judicio explorare libeat; totidem habebis alexiteria. Hinc ferè nihil in rerum naturâ quod pro re natâ, pro ætate, sexu, opportunitate, aut intempesto usu, &c. non juvet sanitatem aut illi noceat, non sedet famem aut sitim, eludat aut fallat.

I I.

CREATIS simul substantiis non indita omnibus dos eadem. Variis suprà fidem modis quoslibet & singulos nostros sensus afficiunt. Variè eosdem sensus in diversis hominibus. Quantò major diversitas in animantibus? quod nutrit unum, occidit alterum, salubre fit alteri. Cicutâ vescitur Sturnus; Athenis obiit sapientissimus Græcorum. Fœcula *manioc*, cibo est haud aspernando: letho dat succus ex eadem radice expressus. Alunt lumbricos, reptilia, &c. loca mucida, æterno senta situ, aëri ferme impervia. Sunt per se quæ reficiant, sunt quæ bonum habitum sustineant & conservent. Sunt quæ naturâ neque malefica, neque benè facere idonea, pro re natâ bonam aut pravam acquirant indolem. Sic per, & post usum aquarum Chalybeatarum, Thermalium, &c. etiam post aliquot menses, fructus horæi, fermentescibiles, vegetabilia pleraque, acida quæcumque, venena fiunt. Sic imbecillitati ventriculi diuturniorem calentis aquæ potum excipienti, panaceæ instar meri potus. Anginæ spuriæ, à mercurio, remedium præsens catharsis, aliàs futura gladius anceps. Habe igitur venenum quidquid nocet, vel per se, vel occasione datâ: alimentum quidquid nutrit, aut nutritioni addit, pleniorem reddendo; quo sublato, minor, imperfectior fit nutritio. In Medicamentum tandem accipe, quidquid languentes vires recreare, malum quemcumque habitum in melius, si non illicò, saltem lapsu temporis, immutare valet.

I I I.

PANDORÆ pyxis aër. In ipso, de ipso, & per ipsum vivimus, movemur, & sumus. Aër est liquidum pellucidum, undequaque diffusum, grave, elasticum, rarescere & condensari ultrà modum habile. Aquæ communi, lumini, acido primigenio, principio odoro vegetantium quodcumque sit, sulphureo triplicis regni, incorruptâ pelluciditate misceri aptum. Vis illius solvens nulli æquiparanda menstruo; sive solvat per se, sive quod omnium ferè substantiarum solutionis capax, victoris jure, harum omnium sibi jura arroget Dominus. Ideò nutrire, reficere, necare quis inficias ierit? Omnium quotquot circumstant,

dotes acquirit ſedulus. Stadiorum neſcio quot millibus à littore maris muriam redolet naribus inaſſuetis inamabilem. E medio pelagi dùm adhuc oculis omnia pontus erant & ſine littore, vafer quidam novi orbis quæſitor; littus, inquit prope eſt, odore ni fallor: benè illi; jamjam enim longis viæ erroribus defatigata & exſpes nautarum claſſis ipſius devoverat caput, præcepsque dare in abyſſum prona, reſtitit: brevi datâ morâ, eminùs terram aſpexit, naribus (emunctis ſanè) priùs ſubodoratam, quàm ſuſpectam oculis. Ubicumque igitur vaporant ex humo ſucci craſſiores, mucoſi, pingues & nidoroſi, aër ſe horum ſuccorum adipe ſaturabit. Imbibitus jàm per aſpirationem & poros cutis tanquam per cribrum patens, cur gelatinoſo & mucoſo plaſmate rimas ſolidorum detritas non farciet? Jus necis nonne aſſerit aëri recèns effoſſarum cryptarum halitus vulgò *le Plomb*, repentinam audaciori mortem inferens? Reficiendæ ſalutis, ſi langueat, munere, quis adeò peregrinus in Medicinâ qui pollere dubitet?

I V.

ET verò nonne obeſi ferè omnes qui in culinis vitam degunt, coqui & coquorum miniſtri? Nonne pingues & vultu florido conſpicuæ laniorum conjuges, quæ inter recèns mactatorum animalium trepidantia membra & exta adhuc fumantia, nidoroſum diù noctuque carnium ducunt ſpiritum? Nonne ubi ſtagnantes torpent aquæ, languet infelicis coloni fames, dum devorat cibos aprici montis non fortunatior macilentus hoſpes? Quis non novit famoſum ſpecum Acherontis, vulgò *la grotte du chien*, qui ſolo halitu in nictu oculi canes enecat non ampliùs revicturos, ni ante minutum horæ cito citiùs retrahantur? Quot morborum ſemina venis infundat perfidus Auſter, quis neſcit? Elaſtico nimis jugi montis aëre hæmophtyſim illicò excitari an fabulæ? Ruris amœni læto aëre, tempore verno, ſuavi prati florentis odore, vel naſcente aurorâ, vel ſole cadente, quis ſe refici nunquam ſenſit? Quot febres hecticæ, rebelles, ſolâ aëris mutatione evanuerunt, contrariâ recruduerunt? quot phtyſes, cephalalgiæ, novo aëri terga dederunt præcipites? Prout levis, gravis, denſus, rarus, humidus, ſiccus, calidus, gelidus, mæſtum, gravem, triſtem, pigrum, lentum, alacrem, hilarem audacem facit plùs minùs, pro ætate, temperamento, ſexu, diverſâ valetudine, aliiſque circumſtantibus.

V.

CONSTET igitur Aëris rationem non levis eſſe ad vitam tuendam momenti, ſi alat, ſi perimat, ſi vivificet. Quis poſthàc adeò ſuæ ſalutis negligens, qui indiſcriminatim ubique habitet? Purum ubi ſine labe cœlum, aër non nimis denſus, nec ultrà modum rarus, non æquo ſiccior aut præhumidus, non elaſticus ad frangenda vaſa ſanguifera, non torpidus, qui nullo unquàm pulmones elatere ſuſ-

citet, ibi volo vivere. Non malè mecum actum eſt, ab ubere cœlum hauſiſſe pariſienſe. Non mihi veniat in mentem Riphæos, Alpinos, Scotiæ aut ultimæ Thules habitare montes. Non, infidum ſub pedibus Limæ aut Uliſſiponæ calcare ſolum; ex fiſſæ telluris rimis profundis vaporat diù exitioſa mephitis. Batavorum paludes & canales æternos colat infelix Belga, non ego. Mirificam jactent ſuam urbem Veneti curribus & equis inviam; hanc dicant poſuiſſe deos; placeat & Diis & Venetis, non mihi. Me recreat ſalubris Vicennarum ager, me Cauciacus aliæque amœnæ puri ſequanæ ripæ; non diſpliceant & Matronæ quamvis tardi, conterminæ villæ; nec recuſem Iſaræ fieri accola, modò tamen his fluminibus non juſto vicinior. Mihi præ cæteris arridet Pariſienſis agri vicinia. In urbe non æquo pede quodque limen ingrediar hoſpes. Naſcentem videat ſolem, aut medio rutilantem cælo, quam habitem domus. Adversùs aquilonem duplicato vitrorum clauſtro benè munitam, minùs reformidem, quàm occidentalibus ventis perflatam. Non mihi vicinus ſit Coriarius, non lanarum infector, non immundæ candelæ confector, aut inurbanus Bubulcus, aut olidus Caprarius. Veſtras paſcite oves, pueri, in aprico, non in tabernis civitatis; nec immundo fimo urbem polluite. Depellite in agros juvencas & aſinas; pendeant ſummis de rupibus capellæ; ſalubriori & uberiori lacte illarum diſtendentur ubera. Procul à me non minus deteſtabilis quàm neceſſaria laniorum gens, quæ putri tabo vias urbis aſpectu horribiles facit, & odore tetro ac nauſeabundo conſpurcat. Vivant in macellis piſcium, queis lucri bonus eſt odor ex re quâlibet; at mihi non tanti ſit optimos piſces marinos, ſaxatiles, fluviatiles, comedere. Ignoſcite, precor, ignoſcite pii parentum cineres, ſi vos ad aliquot ab urbe milliaria verſùs Boream, Martis ultra collem, relegari malim; longè meliùs & majori veſtrâ reverentiâ, à petulanti & inverecundâ plebe ſemoti degeretis in aëre puro, veſtris nepotibus innoxii, quàm in medio urbis, ubi vos commingit irreverenter præteriens calo, quiſquiliis, ſordibus, & ſpurcitiis quibuſlibet obruit proximi cujuſque ædium conductoris ancilla; deque ſacro & omnibus gentibus venerando tumulo, latrinas facit abominabiles.

Ergò Aër Alimentum, Medicamentum, Venenum.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS DUSSANS, Atyrenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.